B. N. C
FIRENZE
1011
1

XII
KIRCHM.
1614

1011. 1

A 1



De

Admirandis Cœli Terræq; nuperis Phænomenis, prodigioſis item aliis,

inprimis de

LUNARI CRUCE, IRIDE,

ut &

VOLANTE LAMPADE NOCTURNA,

Diſſertatio Epiſtolica

GEORGI CASP. KIRCHMAJERI,

Orator. in Electorali Saxonum Univerſit.

P. P. & Acad. Cur.

WITTENBERGÆ,

Imprimebat MATTHÆUS HENCKELIUS, Acad. Typogr.

ANNO cIↄ Iↄc LXXXIV.

1872

111

Ad Viros Celeberrimos,

Excellentisſimis pro re literaria publica

meritis *Illuſtres,*

DN. D. JOH. MICHAELEM FEHRIUM,

Archiatrum, in Urbe Liberâ & Imperiali Svevophordienſi Conſulem, Academiæ Nat. Curioſor. per Germaniam Præſidem Magnificum, & Argonautam:

Nec non

DN. ANTONIUM MAGLIABECHIUM,

Polyhiſtorem Florentinum, Magni Etruriæ Ducis Bibliothecarium incomparabilem;

Patronos colendisſimos:

De

Admirandis Cæli Terræq; nuperis Phænomenis, prodigioſis item aliis,

inprimis de

LUNARI CRUCE, IRIDE,

ut &

VOLANTE LAMPADE NOCTURNA,

DISSERTATIO EPISTOLICA

VEre prudenterq; Sapiens Romanus nominat *ingratum, qvi beneficiũ ſe accepiſſe negat: ingratũ, qvi disſimulat: ingratum, qvi non reddit: ingratisſimum, qvi oblitus eſt.* Non affero, qvas ipſa dictitat natura, cauſſas, & expresſit optimus Præceptor pesſimi *Neronis*. Illud publicè profiteor: à nota hominis ingrati (cujus nomen etiam abhorreo, in aliis deteſtor,) nullam ſupereſſe mihi excuſationis ſpeciem, ſi vel disſimulem, vel negem, vel oblivione deteram collata veſtra, Evergetæ, in me beneficia. Septennium effluxit, cùm honorem Ordinis illuſtrioris ſponte tuâ, PRÆSES obſervande, reluctanti mihi, propter conſcientiam nullius meriti, conferres. Compotem illius ante annos duodeviginti reddere me Conditor inſignis

gnis Academiæ, perpetuâ vehendus laude noſter, *ἐν ἁγίοις* BAUSCHIUS, tùm in Franconiæ communis patriæ meditullio, Svinfurti ſcilicet, præſentem, qvantum in ſe fuit, voluit. Exprobratum mihi à nonnullis memini fuiſſe, cur honorum publicorum nomina disſimulem, vel fugiam in exprimendis ſolitis? Sed egomet, qvi bella gero cum ambitioſis titulis & (ſi qvi forent,) meis, morem omnibus relinqvo integrum; aſt *mallem cum Catone eſſe, qvàm videri aliqvid.*

Expresſi tamen nunc, ne tui muneris ingratus æſtimator forſitan viderer. Tot olim literis favore plenis, nuper etiam per Nobilisſimum Collegam, Noribergæ decus, noſtri Ordinis illuſtramentum, DN. D. JOH. GEORG. VOLCKAMERUM nummo aureo auguſtiore me ornâſti: menſæ ac convictibus non ſemel Urbem inclytam, mihiq; toties beneficam, Svinfurtum, tranſeuntem me adhibuiſti. Jam qvis me *Seneca* ab odioſo nomine ingrati, qvoniam non reddidi (nec enim po-

potis eram) beneficia, abſolvet? Habes confitentem reum; habes debitorem ſempiternum; habes pariter præconem. Nulla vel impietas obliterabit, vel delebit ætas, vel abs me progenies ſilebit merita hæc tua, DOMINE.

Et Tibi, Celeberrime MAGLIABECHI, Ducis verè Magni tui cliens maxime, Curator admirandæ in Italia, poſt Vaticanam, Bibliothecæ vigil, & Eruditorum omnium ocelle, qvas vel referam, vel exprimam in præſens gratias? Tot non modò epiſtolis, ſed libris literariisq; donis, nuper admodùm vicisſim, freqventaſti me, aut cumulaſti peregregio *Henrici Noris*, *Veronenſis* Commentario in vulgatas *ab Onuphrio Panvinio* veſtrate Faſtos Conſulares emendatos, auctos, illuſtratos edito; ut modum pæne neſciam, ecqvomodò me ſatis gratum Tibi probem? Qvicqvid rari, qvicqvid operum novorum Itali Scriptores publicent parturiantvé, adnotas, & cum amicis liberali-

ter

ter communicas. Qvid ego? ſchedas has exiguas ſubmitto. Qvi libri prodeant, qvæ ſcripta pasſim in Germania vulgentur, ſine numero propemodùm, Catalogi teſtantur Francofurdienſes, Lipſienſes, ac minores alii. Significo hic potiùs, qvid novi, qvidq; rari Cœlum pariter & Terra exhibuerint ab uno alteroq; anno hactenùs Germanis.

Intereſt poſteritatis, qvæ hoc ſeneſcente ſeculo ſervavimus de cœlo, qvæ in terris vidimus miranda, ex mortalium memoria ne deleantur. Hyemem & longam & nivoſam, præter ordinem Naturæ ſicca pariter ac frigida vernalis, æſtivalis poſteà excepit calida & ſitiens tempeſtas, adeò, ut ab Aprili ineunte, ad adultum menſem Julium vix una alteraqve citò tranſiens, & paucisſimos attingens agros pluvia in noſtro Horizonte gramina, frumenta omnis generis fructusq; nec non olera emorientia cum plantis & arboribus, qvin imò vix tellurem irroraverit hiantem. *Hamburgi*, *Re-*

 va-

valiæ Rigæq; urbium clarisſimarum, vicina *VVitteberga*, *Miſniæ*, *Voigtlandiæ*, ac *Argentorati* fulmine divino tacti, horribilia incendia informe rudus hic & illic loqvitur. Haud temerè hæc facta, aut obliviſcenda. Numinis irati minæ, qvin & efficacia ad vitæ emendationem monita cenſeri debent. Intereſt præſentis ævi etiam, ut circumſpiciamus, atq; elevemus capita, caſtisq; precibus propitiemus nobis cœli terrarumq; Dominum, ut clementisſimè avertat tela, qvæ ab Oriente *Hannibal*, ab Occidente *Haſdrubal* Imperio intorqvet ſacroſancto. Vos, Viri maximi, intereà valete, diſſertationem hanc ſuſcipite ſerenis frontibus, &, ſi porrò mereor, favete! Scribeb. VVittenbergæ X. Kal August. A. cIɔ Iɔc LXXXIV.

Con-

Contenta :

CRux qvando, qvomodò, & ubi viſa fuerit cum Iride Lunari ac Paraſelene geminâ?

Iris ſine ſtillicidio in nube glaciali, explicatur è *Carteſio.*

Irides Lunares obſervatæ rariùs. A qvibus? Plures in Annalibus occurrunt Fribergenſibus. Deſcriptio illius Wittebergæ viſæ, menſe Januario adulto.

Crux Lunæ qvalis, & qvam cauſam habeat efficientem? Cruces aliæ prodigioſæ in aëre, cœlo, terra, veſtimentis hominum, & alibi.

Romæ ac Patavii tres viſi Soles totq; Irides Ao. 1601. Parhelii viſi V. Romæ An. 1629. & duæ Irides.

Hyems Ao. 1681. & 1682. tàm tepida & pluvioſa vernabat paſſim gemmis, foliis, florib. & fructibus.

Ab ea tempeſtate fluxerant aqvarum inundationes; ab his mille mala, & alicubi diluvia, hinc ſtrages hominum ac regionum, intra & extra Germaniam.

Globus igneus ex aëre delapſus Ao. 1682. Lampas ignea volansq; major obſervata Ao. 1683.

Horribilis tempeſtas Romæ, menſe Febr. Ao. 1683. hominibus ac frugibus damnoſa. Cometes in Aurigæ ſidere 1683 iſtius magni aſſecla.

Parhelii ac Irides complures poſteà.

Lampas deſcrib. ignea Auguſto menſe Ao. 1683. in plurimis Germaniæ remotisſimisq; locis noctu viſa. Una-

nanè? Locus generationis in qvâ regione aëris? Atmophæræ altitudo.

Montes excelſisſimi in Italia, Inſula Tenariffa, Scythia, Dacia, & Germania inprimis memorantur: Autoris in qvibusdam obſervationes.

Scrutinium *Davidis Frölichii* rarisſimum in Carpath. inſano jugo. Montis Ararat conditio à J. *Janzonio Strauſſio* qvalis deprehenſa? Ao. 1670. Olympus & mons Veneris ab *Ariſtotele* ac *Zabarella* verenè expoſitus?

Lampas volans ignea qvàm alta primùm, qvamq; magna, & ubi viſibilis?

Tempus generationis, & illius unde fomes?

An ex ſulphure nitroq;? Nitrum promovet deſcenſum qvoq;. Modus multiplex parandi fulmina.

Natura ignium talismodi communis cum pyrobolis misſilibus. Laudatur *Fromondus*.

Idem mox notatur. Natura nitri inflammabilis. Provocatur ad experientiam & teſtes varios. Vapulat *Rob. Fluth.*

An Tonitru à Cacodæmone? *Helmontius* notatur cum *Bodino*. Reprehenditur hic qvoqve *Paracelſus*. Qvantum conferant adſpectus Planetarum, & Conjunctiones magnæ?

Finis iſtiusmodi Phænomenorum extraordinarius aſſeritur. Qvandoq; fabuloſus.

Anacephalæoſis de Cruce ac ſignato ejus. Hiſtoriæ recentiores aliæ cum laudatisſimis Obſervatoribus.

Appendix ex Sileſia.

PRO-

PROLEGOMENON.

Crux Alba, Lunam mediam interſcans, cum Iride præconium cœleſte intimat.

SAlvete Chriſtiani! præconem, & ſi vultis, fecialem deſtinavit me Omnipotens, ut in ſymbolo ſignoq; Crucifixi terreſtrem vinci poſſe Lunam, & ſecari mediam intelligeretis; ſi à cædibus pro regione, aut religione impotenter hactenùs patratis, per tot Regna, deniq; abſtineretur, & adverſus barbaros Lunaticos unanimi conſenſione arma jungerentur. Bella Numinis, non hominis pro gloria, Crux omnibus communis vobis ſvadeo. Qvem, niſi JESUM CRUCIFIXUM perſeqvimini in tot exulibus? Qvàm grave ſemper extitit, adverſus ſtimulum hunc calcitrare? Qvod verò præmium manebit vos, ſi mutua in vulnera & funera ruatis rabio-

bioſè? Lupi,beſtiæ immanes, à laniena ſui generis abhorrent. Feritas leonum inter ſe non dimicat, ſerpentum virus ad ſerpentes ſe non exerit. Ne marina qvidem monſtra, niſi in familias diverſas, iram acuunt. Sol mundi oculus expalluit ad tragœdias has diu inter Chriſtianos, & vicinos, actas. Deteſtatus ſcelera ad pœnas irritatus Deus, intrà vix qvadriennii decurſum tot in æthere Cometas, (qvos inter parem majoremvé multa non viderunt ſecula, caudato illo celebri per Orbem univerſum,) tot in aëre volantes lampades & meteora rara alia, &, præter ſiccitatem diuturnã, horribilia incendia, mortalibus repræſentavit. Ordinarii dũ reſpuuntur monitores, qvibus fidem aliàs habere decet, gemebundam adhibet pro teſte creaturam, ſed cœleſtium interprete, Omniſcius. Non opus eſt exhortatoriis ampliùs orationibus, aut rationibus, qvas ad Paſſagia (ſic enim appellârunt expeditiones Anti-Turcicas in Orientem) ſubeunda maximo urgebat olim opere *Æneas Sylvius*, Epiſcopus Senenſis, Pontifex II. *Pius*. *Hannibal* ad portas iterùm in

Chri-

Chriſtianis agris! Unanimiter, cordatè, fortiter rem tantam agite! In hoc vincetis ſigno Lunam barbaram. Nunc teſtem, imò vadem gratiæ cœleſtis juxta Lunam Iridem adſpicite!

Hiſtoria cœleſtis Crucis, & in terra plurium.

PRidiè qvo phænomenon apparuit, intenſiore gelu aſperari aër cœpit. Die XXIV. Januarii tamen, Jul. comput. uberiorem nivem invehebat Boreas. Ad ſeram veſperam in rariores tenuabat nubes ventus, ut liberior rediret cœli facies. Poſt horam X. nocturnam (biduum à plenilunio elapſum fuerat) apparuit Corona circa Lunam, indè Crux tranſverſa, recta & perfecta, albicans, conjunctis aliqvot, per modum linearum, radiis ad tres horas integras figuræ retinens, paraſelenes geminas obſcuriuſculas, cum Iride pulcherrimà Lunari, incompleta interim, exhibebat oculis. Altitudo Lunæ fuerat initio apparitionis Wittebergæ, poſt X. nocturnam ſuprà Horizontem $21^{\circ}. 30'$. Fallor? an ſub ſtellis in capite ♍ tunc occurrente Lunâ; lineam conſtituebat rectam cor Hydræ ac Arcturus, extrema in ♌nis caudâ & in roſtro corvi communis cum Hydrà. Inde Lunæ longitud. prodeat 21° ♍ $7'$. & latitud. $4^{\circ}. 8'$ Sept. Multis admodùm ac valdè disſitis in locis viſum hoc mirabile Phænomenon fuiſſe, inde colligas, qvòd *Dresdâ*, *Berolino*, *Lipſiâ* & ex *Sileſiâ* Amici qvid monuerint privatis, de illius obſervatione, literis. Dignum memoratu, va-

rii tùm infrà Lunam generis in aëre hæſiſſe nubes. Denſiuſcula, æqvalis, & continua halonem, ſive aream ſubjecta corpori Lunari, dabat. Paraſelene una alterâ viſibilior, utraqve cum Luna homocentrica per cauſas neceſſarias. Nubem planè aliam oportuit fuiſſe illam; ſpecularem nempe atqve glacialem, in qva effigiata Iris erat. Res admirationi propior eſt, Iridem videri poſſe, ſine guttularum aqvearum ſtillicidio. Tùm enim temporis nec nix, nec pluvia cadebat. Glacialem igitur ac ſpecularem appellavi nubem. Specula in guttulis non tantùm, ſed & in glacie pellucida, haud ſecùs ac in priſmate, aut cryſtallo. Unde Iridis repræſentationes. *Carteſius* rem acu tetigit in Meteorol. c. 9. n. 4. *Iris nunqvàm apparet, niſi pluente cœlo; licet ſæpiùs non pluat, ubi ſpectator conſiſtit.* Idem ibi *glaciem pellucidam* ſubſtituit. *Coronas autem nunqvàm*, ubi pluit, *conſpici*, adjecit rectè. Qværo autem: *unde illa in eodem tractu nubium extiterit diverſitas*, *& alteratio?* Recurrendum certè ſimul ad diverſa loca diverſarum nubium, ſublimiorum, aut depresſiorum. *Sed nec vitrum*, (objicit *Carteſius* ibid. n. 1.) *in pulverem comminutum, nec nix, nec nubes paullò denſiores, pellucidæ eſſe poſſunt.* Annuo; ſed nego cecidiſſe nivem, loco temporeq; obſervationis factæ. Ut de conglaciatæ & ſexangularis nivis admirabili figura, veſtimentis & feneſtris ſæpè adhærente nihil memorem; qvot qvæsò vicibus æſtate qvoqve mediâ, dum inhorreſcit aër, ſpeculares & pellucidæ dejiciuntur grandines, in qvibus velut ſpeculis imagines ſolares Iridem relinqvunt; niſi ſpisſior impedimento ſit tempeſtas. Nec dum prætermitttere ſientio Lunarem Iridem debemus. Rariùs hæc viſa; viſa tamen ſemel iterùmq; nobis. *Ariſtoteles* commemorat, veteribus inobſervatam, temporeqve ſuo bis ſolummodò ſupra annos qvin-

qvinqvaginta viſam. Dicit, illam prorſus eſſe albam, & non niſi plurium annorum interſtitio contingere; & die menſis unicâ videri, plenilunio nimirum. At oppoſitum demonſtrant Sapientes, *Scaliger* Ex. 80, ſ. 11. *Sennertus* in Scient. nat. l. 4. c. 9. *Albertus* non plenâ lunâ, *Snellius* biennio bis obſervavit. vid. *Gaſſend.* part. 2. oper. ſect. 3. Phyſ. membr. 1. l. 2. c. 6. Ex *Fribergenſibus* Annalibus congeſtis à D. Medico *Mollero*, diſcimus duas uno eodemq; Anno 1580. die, 25. Julii, & 18. Decembr. viſas in Hermunduris fuiſſe Irides Lunares. Hoc ſeculo *Fribergæ* iterùm, & qvidem plures obſervatæ; die 25. Januar. Ao. 1630, inter mirabilia oſtenta alia. Ibidem die ultima Novembr. A. 1663. parhelii apparuerunt duo, totidemq; Irides; nocturno autem tempore Lunaris juxtà albicantem Crucem viſa. Ad Annales provoco eosdem. Nuper inter alia phœnomena, qvam Wittebergæ Iridem ſpectavimus Lunarē die 24. Januarii poſt X. nocturnam, ſaturis coloribus, figurâ tamen incompletâ ideò apparuiſſe talem judicamus, qvòd non pleno ampliùs fulgeret orbe Luna: decima ſeptima enim poſt conjunctionem, ſecunda, poſt oppoſitionem, phaſis erat Lunæ. Iris ſine ſecade aut pluviâ ſtillante aliàs paradoxon. Supplebant vices pluviæ (qvarum tunc propter gelu nulla cecidit,) particulæ collectæ ex vaporibus nocturnis glaciales, ſtabulantes multâ copiâ in aere. Crux crucem nobis figit maximè. Qvæ enim ſufficiens produci cauſa poteſt, cui candidisſimarum hâc figurâ linearum diſpoſitio tàm diuturnam conſervaverit durationem. Dic cauſſam, niſi ſumma ſemper agens liberè hæc cauſſa moderatrix fuit, qvæ in aëre repræſentavit Crucem CONSTANTINO

M. cum epigraphâ Romanis literis expreſsâ : IN HOC VINCE! Euſeb. l. de vit. Conſt. M. c. 28. *Socrates* Hiſt. Ecc. l. 1. c. 2. *Sozomen.* l. 1. H. E. c. 3. Dic cauſſam, cur in cœlo Crux affixum Servatorem exhibuerit cum clavis & ſtillante ſangvine in Anglia, Auguſti die VIII. ab horâ pomeridiana tertiâ uſqve ad occaſum Solis, Anno Chriſti 1188. *Calviſio* in Chronic. notante. Cruces ex aëre decidentes poſt *Trithemium*, Abbat. Spanheimenſ. 2. Chronic. Hirſaug. ad Ann. 1500. & *Naucler.* vol. 2. Geogr. §. 20. *Marqvardus* prodidit *Freberus* Tom. 2. Germanic. rer. f. 242. Mirandulæ Concordiæq; Comes, *Franciſcus Picus* de prodigio hoc ad Divum *Maximilianum* Cæſarem: *Monſtraſti*, inqviens, *dum eſſem in Germania, cruces, clavos, lanceas, & alia pleraq;, cœleſti qvâdam, nec viſibili pluviâ corporibus delineata. Vidi & ipſe, addit, poſtqvàm à Tua Majeſtate diſceſſi in Italiam rediturus, multa qvæ non modò fidem rei jam vulgatæ adſtruerent, ſed majorem multò etiam demirationem incuterent, & univerſam panè Germaniam ad cœleſtia prodigia religionis ergo commoverent. Apparuerunt autem cruces etiam in veſtimentis hominum, in linteaminibus, in menſalibus, in Sacerdotum albis, in mulierum peplis. Nec ſola in Germania, ſed univerſa Gallia, Hollandia, Brabantia, Polonia, Dania.* *Johannes Funccius* in opere Chronolog. ad Ann. Ch. 1503. non ſolùm in veſtimentis denuò, ſed & in pane ſimilaceo apparuiſſe cruces per Germaniam teſtatur. CAROLI M. tempore (Imperii illius Anno qvinto pridie Nonas Junii, Lunari in Eclipſi) ſignum Crucis modo planè mirabili apparuiſſe in Luna, refert autor Chronici illius magni Belgici. Qvod cùm non memorent *Notkerus Balbulus*, aut *Eginhardus* ipſemet, aut *San-Gallenſis* Monachus, aut alii apud *Andr. de Cheſ-*

ne

ne, ne de Annalibus Francor. dicam, hactenùs in medio relinqvam. Anno M C L V I I. tres viſas Lunas & in media crucem, prodidit *Suffridus Presbyter*. Triennio ante, ſimile qvid contigiſſe, *Godefridus Monachus* eſt Autor in Annalib. A. M D XVII. Saxoniæ Elector atqve Principes *Vinmariæ* in Luna crucem amœniſſimam viderunt.

Rariora hujus ſeculi Phænomena & eventa, in cœlo pariter ac terris obſervata.

CErtè memorabile exemplum *Petrus* judicat *Gaſſendus* part. 3. oper. Sect. 3. Phyſ. membr. 1. l. 2. c. 6. apparuiſſe *Romæ ſimul & Patavii Soles tres cum triplici Iride*, (qvantumvis duplicem coronam cum albo circulo idem mox nominet,) d. VII. Februar. horam circiter, ut illic numerant, vigeſimam & primam, A. 1601. Magis memorabile *Renatus des Cartes* retulit ex aliis, & illuſtravit ſcientificè in Meteorolog. c. X. p. 334. ſeqq. Phænomenon ſolare. Die enim Martii XX. Anno 1629. *Romæ* Soles viſi V. circa verum apparentes, duæ incompletæ Irides; parhelii, non tamen uſqve adeò perfecti duo, neqve rotundi & præciſi, ſed inæqvales & lacunoſi ambitûs cernebantur. In diario, qvod propter cognoſcendas tempeſtates à multis inde Annis ſoleo continuare, obſervavi ſimilem ab aëriis oſtentis rarioribusq; naturalibꝰ ac meteoris annũ vix aliũ occurrere elapſis Annis 1682. & 1683. Tepor hyemis inſolitus; continua per dies aliqvot noctesq; aëris humiditas ad nimietatem uſqve irrigabant menſibus Novembri & Decembri Ao. 1681, tellurem. Nodulos gemmasq; multi oſten-

ſtentabant paſſim frutices, in noſtris qvoqve hortis. Inſolens res, die 4. Januarii Ao. 1682. ex Lotharingiæ *Nanceo* celebri perſcripta, ad ſimilitudinem Majalium deliciarum pleno ferè omnia ridere flore, arbores veſtiri foliis, luxuriare prata gramine, matura fraga colligi. Idemq; confirmatum eſt à *Rupellanis Gallis*, qvòd in vicinia extarent altè ſuper terram fructûs & frumenta omnis generis, ut viderentur brevi ſpatio maturitate gaviſura. Die XIV. Januarii jam tùm miſerabilibus lamentis perſonabant literæ ex *Scelandia* & *Flandria*, propter aggeres perruptos à ventorum turbine ac ſævientis pelagi aſſultu; in *Auſtria* conqveſti *Viennenſes*, ſuburbani maximè, ob Danubii inundationes; in *Franconia* eodem fermè tempore ac pòſt aliqvantò *Bambergenſes*, *Herbipolitani*, alii, ob eruptiones Mœni; *Bremenſes* à Viſurgi, *Hamburgenſes* ab exæſtuante Albi damna paſſi ſunt incredibilia. Die Januarii XX. inter *Scot-Viennam* & Muranum pon em ingens, ſed non diu ultrà ſemihoram durans, terræmotus magnam ædium ruinam dedit. Eodem die *Witteberga* porta, qvà ad Albim itur, intercluſa, aqvis irrumpentibus in angiportum, & ad milliare magnum latè evagantibus per agros. *Ratispona* pariter Danubius inſignem ſupergreſſus pontem urbi ſe infudit ipſi. Die Jan. XXV. ciconiæ apud nos, & anſeres ſylveſtres numero prolixo abs me etiam, viſi. Die XXVII. Jan. tempeſtas maxima cum horribilibus fragoribus ventisq; *Neoveſium* Comitatûs *Bentheimenſis* oppidum perterruit. Ad illud uſq; tempus intra paucos dies *Flandriam Scelandiamq;* (& in ea *Walgriam* inprimis Inſulam) diluvium omninò ſingulare adeò vaſtavit, ut ſedec. millia hominum & ampliùs cum pagis integris demergerentur aqvis, & alicubi vix turrium pinnacula extantia conſpicerentur. Exceſſiſſe centies millena floreno-

norum millia hanc cladem publica confeſſio firmavit.
Die XXIX. Jan. in Colonienſi ditione cœlum minax horridam coëgit tempeſtatem; uti inter fulgura ventosq; millia aliqvot proſternerentur arborum. Mitto alia minora per ſecutos inde menſes aliqvot eventa; & commemoro Cometen die XVII. Auguſti poſt nocturn. I. obſervatum. Die V. Decemb. A. 1682. magnitudine prodigioſâ verſus Auſtrum globus igneus ex aëre delapſus, in qvamplurimis Germaniæ obſervabatur locis, longisſimè remotis etiam. Ecce *Francofurti* ad Mœnum, *Spiræ* Nemetum, in via montana (ut perſcriptum Heidelbergâ fuit,) *Iſenaci*, *Erfurti*, *Jenæ*, *Lipſiæ*, *Witteberga*, *Dresdæ*, *Camentii* in Luſatia inferiori, *Vratislaviæ* Sileſiorum, *Liſnæ* Polonorum, &c. Qvinto, inqvam, Decemb. paullò poſt occaſum Solis, cœlo admodùm ſereno, aëre ſic ſatis temperato inde à vertice ad brumalem occaſum viſa pila ingens ignea, pyroboli in morem accenſa & trajecta, draconis aut ſerpentis magni referens imaginem, duravit ad qvadrantem horæ, ac cum ſtrepero fragore deſiit in albicantes lineas & fumi ſpeciem, non ſine adſpectantium horrore in qvibusdam locis. Qvod Phænomenon cùm ampliori formâ aliud ſeqvente Anno 1683. exceperit, ad illud usqve differemus contemplationem ejus. Anno igitur prædicto tertio poſt octogeſimum, conſeneſcente ſeculo hoc, die Februarii duodecimo ante meridiem, cum nive copioſa vermium pullities & termitum innumerabilis delapſa eſt in Pomerania Straleſundæ, ut examina manipulis colligerentur.

Menſe Junio, undevigeſimo illius die, cùm in proceſſione ſolennisſima ſanctisſimum circumgeſtaret PontifexR. tanta ingruit cũ imbre, tonitru, ac fulmine terribili tempeſtas, ut dejicerentur ſegetes & arbores, & cum

brutis multis homines exſtingverentur qvidam, qvinqvieſq; fulmen ictu perterreret Urbem, aqvis paſſim reſtagnantibus per vicos.

Menſe Julio die $\frac{11}{21}$ Cometa novus in Aurigæ ſidere infra Capellam viſus, aſſecla illius magni, qvi prælu. xerat immani caudâ Ann. 1680, & 81. Idem paucis pôſt diebus in Jordane juxta Urſ. min. eo obſervatus die, qvô Viennam Auſtriæ obſidione cinxit Turca.

Auguſti die $\frac{5}{15}$ parhelii duo juxtà verum Solem viſi nobis qvoq; Wittebergæ, circà VI. veſpertinam.

Auguſti die $\frac{9}{19}$ horâ VI. duæ Orientem verſus irides, ſed incompletæ; paullò pôſt circa VII. inter ortum & meridiem perfecta aliaq; Iris.

Auguſti die $\frac{12}{22}$ paullùm ante veſpert. IX. memorabile id viſum meteorum igneum qvo de uberiora exponenda ſunt in præſens.

Auguſti die $\frac{28}{18}$ tres ternâ vice Irides poſt pomerid. 4. 5. nec non ante VI. apparebant. Coaxantes calamitæ, cornicantes graculi, picæq; luſitantes, & in aqvis ſe mergentes anſeres fœdiſſimam præſagiebant tempeſtatem.

Silente Lunâ eqvidem, ſed cœlo amœniſſimè ſereno improviſa fax, & lampas ſplendida obſtupefecit oculos mortalium, æqvalis πανσελήνῳ apparentis magnitudinis, ſuperior fulgore. Pleniùs etenim & clariùs illuminabat Lunâ plenâ aërem, per qvem trajectio fiebat, & cum ædibus plateas. Altitudo loci, qvi primò apparuit, ex analogia ſideris majoris Urſæ & Bootis judicari poteſt. Motu progresſivo lampas ignea à ſeptentrione in occaſum deſcendebat ad Jordanem, inſtar globi phyſicè rotundi, ſtridulum alicubi relinqvens ſonum. Horizontem nondum ſtrinxerat, cùm fulguris diſſiliens in morem radios cœruleo-ignitos latiùs diffunderet. Viſum ſimul

mul eſt mirabile phænomenon in locis ſingulas ad mundi plagas maximoperè à ſe diſtantibus: *Hamburgi*, (horâ mediâ in IX. veſpert.) *Lipſiæ* ac *Wittenbergæ* 4/ aut 5/ ante nonam, *Jenæ* paulò poſt auditam IX. memorante Celeberrimo *Weigelio*; ſed longè ſeriùs, ſi qvidem omnibus habenda fides, *Francofurti* ad Svevũ, *Francofurti* etiam ad Mœnum, *Caſſellis*, *Coburgi*, *Islebiæ*, *Numburgi*, *Geræ*, *Altenburgi*, *Dreſdæ*, *Budiſſæ* Luſatorum, *Berolini*, *Halberſtadii*, & in *Poloniæ* ac *Marchiæ confinibus*.

Qvarum urbium & civitatum genius à poli altitudine ſpectatus, juxtaq; longitudinem locorum atq; latitudinem expenſus, ſi cum teſtimoniis obſervatorum plurium, & collatione graduum cœleſtium cum circulo terreſtri maximo examinetur, calculus teſtabitur, per qvot & qvanta milliaria phænomenon potuerit videri. Artificibus ἀκρίβειαν hanc calculi relinqvimus; ut veram ſimul magnitudinem, ſuppoſitâ per obſervationes factas altitudine, eliciant per inſtrumenta parallactica inprimis. Unumnè fuerit phænomenon, an plura? inde diſcimus, qvandoqvidẽ paralleliſmus temporis reſpondet & itineris. Nec obſtat per minuta, etiam 30, propter horologior. fidem ſæpè lubricam varietas. Nec dubitabimus, correctum mathematicè fuiſſe à qvibusdam Curioſis tempus. Sapienter ſæpiùs ad *Rothmannum Tycho Brahe* monuit Epiſt. lib. 1. *in vicinis qvoq; Horizontibus diverſam aëris occurrere conſtitutionem.* Pone interim fuiſſe plura; ſeqveretur, maximum telluris aërisqve tractum per tot ſpatia æqvaliter diſpoſitum tùm temporis fuiſſe; aliud ut appareret hîc, & alibi locorum meteoron aliud. Qvas rationes in propoſito ferè ſimili, labore tamen longè accuratiori & ingenioſiori Mathematicus Italiæ inſignis urſit ante

Annosaliqvot, Dn. *Petrus. M. Kavina, Faventinus;* ut, ANTONI, maxime pernoſti Polyhiſtor.

Locum generationis, aut (ſi hic terminus diſpliceat) *conglobationis* facilè invenient, qvi & atmoſphæræ altitudinem intelligunt, & diſtantiam volantis lampadis à centro ſuperficieq; terræ per tot loca obſervatæ metiuntur. Regioni tertiæ asſignat meteora hæc *Fromondus* 2. Meteorol. c. 5. *Capras, trabes, faces, bolides, dolia, clypeos, ſtellas diſcurrentes &c:* qvod in univerſum atqve ſemper haud concedi poteſt. Qvousqve aër ſenſibiliter extendi posſit, illud ex initiis crepuſculorum & eorum fine, nec non à profunditate Solis infra Horizontem ordinariè determinandum eſt. Qvam in rem ſubtiles ſpeculationes contulit *Johannes Pena* in præfatione nobili de uſu opticæ, & varias collegit, nulli à labore inexhauſto cedens Teutoni, *Joh. Bapt. Ricciolus* Tom. 1. Almag. N. lib. 8. ſect. 1. c. 14. problem. 4. 5. 6. qvi ad 24. milliaria Germanica extendit Atmoſphæræ altitudinem, & contrahit ad 4. interdum. Aer enim ſenſibiliter evadit major à temperie calidiori dilatatus in æſtate; & conſtringitur à frigore brumali tempeſtate, ſeu reprimitur in arctiora ſpacia, experimentis Thermoſcopiorũ. Vapulant ingenioſisſimi Philoſophi *Keplerus* & *Varenius* à Dn. *de Guericke* lib. 5. ſpac. Vac. c. 7. cùm dimidium is ſaltem milliare, hic non niſi unicum concedat atmoſphæræ: ipſo per immenſum ferè liberali l. 5. c. 9. Vulgò in tres regiones aërem diſpeſcunt; ſed nec accuratè rem, qvàm explicant, in applicatione probant; nec per omnia conveniunt. Qvis nobis hactenùs Geometra, aut qvis Aſtronomus demonſtrativè confirmavit primò Atmoſphæræ altitudinem, diverſam in æſtate, & per brumam? Qvis dimenſus excelſisſimos in Orbe montes eſt ſecundum perpendiculum? *Veneris* in agro Patavi-

tavino, in Inſula *Tenariffa Cenis*, in interiore *Scythia Imaos*, in ſuperiori *Pannonia Carpathicos* à curioſis exploratos ſcio. Hos adduco in exemplum, qvoniam non ſolùm altitudine excedunt reliqva Helvetiorum, Tyrolenſium, & Italiæ inſana juga; ſed & arduo conatu ſuperati ſunt à ſedulis obſervatoribus: h, e. à *Zabarellâ*, Comite *Digbæo*, *Strauſſio*, *Frölichio*. Decantatisſimi Germaniæ, partim propter famam veteris memoriæ, partim propter mineralia, celſisſimiq; montes ſunt in Saxonia inferiori *Bructerus*, Germaniæ umbilicus; qvò tendebam Ann. 1663. Auguſto menſe; mons & pagus à dono Dei (aliàs die Gottes-Gabe) dictus, in extremis Miſniæ ultramontanæ finibus, ad *Vallem Joachimicam*, qvâ per præcipitia, in profundiſſimas Bohemiæ ſubjectas & amœniores valles ſolet deſpici; hâc viâ tranſitus patebat Menſe Junio adulto Ann. 1675. ad *Thermas Carolinas* mihi inviſendas; *Pinifer Voitlandiæ* ingenti tractu claret; cujus regionem & vicina loca Principali juſſu atq; comitatu diligenter eqvidem, ſed penitiora Ann. 1678. propter paludoſas paſſim ſcaturigines, & gramine doloſo tecta ſtagna, etiam ex eqvo explorare non ſum auſus; diſſvadentibus inprimis accolis & venatoribus conatum. Qvæ mihi tamen uſu venerint, exponam. In conſcendendo *Bructero* jam manè inter nebulas (nam pridiè ingens inter fulmina & pluvias tempeſtas nos *Goslariæ* excepit, qvam à virunculo anemoſcopo ſagaciſſimus Architas Magdeburgicus, de *Guericke*, cum raris variisq; demonſtrationibus exhibitis præſagiebat ante per ſextiduum; gradu ſatis lubrico, limoſo, madidoq; per ambages; haud ita procul *Ilſenburgo* ventum per ſubjectos colles fuit. Poſt bihorium (in promptu enim horologium portatile indicavit tempus) invaleſcens ventus, nebulas attenuans in nubes

 diſſi-

diſſipavit; ſupra eas aura ſatis frigida, ſed pura & amœna ſeqvebatur. *Wiſenthalio* digreſſus in Bohemiam cùm juxta ſemitam compendioſiore viâ, eqvitando, montem alterum jam ſuperaſſem, in alterius pede denſam per convalles nebulam offendi, moxq; inter turbines ventorum nive copioſâ & conglaciatâ adeò perſenſi frigefactas manûs, ut vix moderandi capax eqvi ampliùs exiſterem in ſummo vertice, (ubi rara æſtas, rarior auctumnitas) qvo *vallis Joachimica* deſpicitur caſtellum, amœnisſimâ fruebar claritate; idq; contigit octiduo ante Feſtum Johannéum. Judicent, qvî à diverſitate alterati aëris & meteororum, tempore eodem variorũ, partiuntur regiones, in qvâ conſtituti tùm fuerimus? diverſi ſcilicet inferioris regionis admittendi gradus ſunt; hinc oppidò in imâ, ſed non in gradu ejus imo hæſimus. Inſignis Mathematici, *Davidis Frölichii*, ſcrutinium inprimis curioſum laudo, &, qvantumlibet prolixius, adduco, propter rariora qvædam obſervata. *E montibus Hungariæ*, inqvit, *primas tenet Carpathus. Horridiora & ſublimiora juga, nubes tranſcendentia, exiſtunt in Comitatu Sepuſienſi; ad patriam meam dulciſſimam, Cæſareopolim, vulgò* Kesmarck *dictam; à qvâ civitate etiam* Kesmarcker Gebürge/ *item* das Schneegebürge/ *qvòd perpetuis ferè nivibus tegantur; à Slavis Tatrii vel Tarczal, qvaſi calvi & abraſi montes, nuncupantur. Ego menſe Junio Ann. Chr. 1615. tùm adoleſcens ſublimitatem horum montium, cum duobus comitibus ſcholaribus, experiri volens, ubi, cum in primæ rupis vertice, magno labore me ſummum terminum aſſecutum eſſe putarem, demum ſeſe obtulit alia, multò altior cautes; ubi per vaſta vacillantiaq; ſaxa (qvorum unum ſi loco à viatore dimovetur, & verſus convallem dejicitur, aut volvitur, aliqvot centena decuplo majora ſecum rapit, & qvidem*

dem tanto cum fragore, ut illi metuendum ſit, ne totus Mons corruat, eumq; obruat,) enixus eſſem, iterùm alia ſublimior prodiit; atq; ita aliqvot minores vertices, qvorum poſteriores ſemper anteriores altitudine ſuperârunt, per totidem convalles, ſummo vitæ periculo emetiri coactus ſum; donec ad ſupremum cacumen penetraverim. Ex declivioribus montibus cùm in ſubjectas valles vaſtis arboribus conſitas proſpexiſſem, nil niſi obſcuram noctem, cæruleum qvid, inſtar profundi aëris, qvod vulgò cœlum ſudum appellatur, obſervare potui, mihiq; videbar, ſi de monte caderem, non in terram, ſed rectà in Cœlum prolapſurum. Nimiâ enim declivitate ſpecies viſibiles extenuatæ & hebetatæ fuerunt. Dum verò altiorem montem peterem, qvaſi intra nebulas denſiſſimas hærebam. His eluctatis, poſt aliqvot horarum intervallum, cùm jam non procul à ſummo vertice eſſem, de ſublimi qvieſcens proſpexi, atq; animadverti, iis in locis, ubi antea videbar intra nebulas hæſiſſe, compactas atq; albas ſe movere nubes, ſupra qvas, per aliqvot milliaria, & ultra terminos Sepuſii commodus mihi proſpectus patuit. Alias tamen nubes etiam altiores, alias item humiliores, nec non qvasdam æqvaliter à terra diſtantes vidi. Atq; hinc tria intellexi; (1) me tùm tranſiviſſe principium mediæ aëris regionis; (2) diſtantiam nubium à terra non eſſe æqvalem, ſed pro ratione vaporis, alicubi altiorem, alibi humiliorem; (3.) diſtantiam nubium terris proximam longè minorem eſſe, qvàm qvidam Phyſici ſtatuunt; & qvidem non 72. milliaria Germanica, ſed tantùm dimidium milliare Germanicum. In ſummum Montis verticem cùm perveniſſem, adeò tranqvillum & ſubtilem aërem offendi, ut ne pili qvidem motum ſentirem; cùm tamen in depresſioribus montibus ventum vehementem expertus ſim. Unde

col-

collegi, ſummum cacumen iſtius Montis Car- „
pathici ad milliare Germanicum,à radicibus „
ſuis imis exſurgere, & ad ſupremam aëris re- „
gionem, ad qvam venti non aſcendunt, per- „
tingere. *Exploſi in eâ ſummitate ſclopetum, qvod non majorem ſonitum primò præ ſe tulit, qvàm ſi tigillum vel bacillum confregiſſem; poſt intervallum autem temporis murmur prolixum invaluit, inferiores montis partes, convalles & ſylvas opplevit. Deſcendendo per nives annoſas intra convalles, cùm iterùm ſclopetum exonerarem, major & horribilior fragor, qvàm ex tormento capaciſſimo inde exoriebatur: hinc verebar, ne totus Mons concuſſus mecum corrueret: duravitq; hic ſonus per ſemiqvadrantem horæ, usq; dum abſtruſiſſimas cavernas penetraſſet, ad qvas aër undiq; multiplicatus reſiliit &c.* Scythiæ immanes montes *Ararat*, in qvibus reqvievit ac ſubſedit *Arca Noæ*, non ſine maximâ difficultate ac moleſtiâ per plures exanthlatâ dies Ann. 1670. conſcendit Vir curioſus aliàs & pannifex, *Johannes Janzonius Strausſius*, *Amſtelodamenſis*, & in ſummo horum culmine accepit teſtimonium ab Eremita D*omin. Alexandro Romano*, d. 22. Julii; qvi, ſi ad *Frölichii* exemplum eas obſervaſſet circumſtantias, qvas maximè deſideramus, multa regionum aëris phænomena intelligi faciliùs, feliciùsq; explicari poſſent. De Monte *Veneris* in agro *Patavino* vero falſas miſcuit hypotheſes Ariſtotelicus *Jacobus Zabarella*; ipſe *Ariſtoteles* non bonâ fide retulit, in *Olympo* monte nullum aëris motum, nullum ventum percipi, & aſcendentes montem non continuare poſſe vitam, niſi ſpongias humectas aqvâ vel aceto plenas ſecum ferant. Contrarium etenim ab aliis hoc adhuc

huc ſeculo compertum eſt, & *Augerius Busbeqvius* oculatus teſtis memorat, *Olympum montem in æſtate qvoq; nivibus oppletum deprehenſum eſſe.* Qvi credit facilè, decipitur facilè. Cur in ſummis maximorum montium culminibus non commodè diuq; durent homines, in cauſa eſt non aëris defectus ſed materiæ nitroſæ atqve reſpirabilis, ob ſubtilitatem atmoſphæræ ſummam.

Supponamus igitur, (cùm per dimenſionem geodæticam in ſtationibus diverſis rarò deprehenſa nubium altitudo fuerit excedere qvadrantem milliaris noſtri,) in medio ſecundæ regionis meteoron igneum hoc magnum generatum, in hanc coiviſſe molem, & ad minimum unius milliaris Germanici diſtantiâ fuiſſe elevatum ſuprà terram; demus illi magnitudinem minoris montis, ſive templi alicujus, ſed figuræ ſphæricæ: haud dubitandum eſt, videri potuiſſe hoc phænomenon per aliqvot Germaniæ provincias. Supponit ſollers Mathematicus *Kavina*, magnitudinem Italici unius milliaris adæqvaſſe, altitudinem phænomeni à ſe deſcripti 90. milliar. Ital. & viſibile per 950. fuiſſe milliaria, in partibus *Europæ* plurimis, tùm *Aſiæ* ac *Africæ*.

Tempus generationis & materialẽ cauſã nunc ſpectem9. Menſibus Junio, Julio, & dimidio ferè Auguſto graviores tempeſtates, horribiliora fulmina & tonitrua exiſtere, qvẽ verò clam eſt? Sol enim magnus Orbis magnes attrahendi vim potentiorem exerit, qvò rectiores vibrat radios, & Æqvatorem prætervectus, partẽ borealem etiam aggreditur, videlicet dimidium hunc noſtrum orbem citrà Æqvatorem, nivibus contectum magis, & refertum nubibus; ut rectè loqvitur *Carteſius* Meteorol. c. 4. n. 7. Particulas ſulphureas & nitroſas probant meteora ignea, & fulgura & tempeſtates ſimiles. Deinde odor ipſemet ſulphureus, qvi nares afficit in fulmine urente

ac ſurgentia indeſinenter magno numero effluvia nitroſa comprobant id omne à poſteriori & effectu. Reſinoſæ arbores in vaſtis Sylvis, qvibus plurimum Germaniæ abundat in *Sileſia, Bohæmia, Miſnia, Saxonia, Thuringia &c.* e. gr. pinus, tædæ, piceæ, abietes, & aliæ prædictis menſibus immenſam copiam exſudant, etiam non vulneratæ; in apicibus deinde plurima arborum iſtarũ pingvium lanugo, ſivè flos, aut etiam fuligo deprehenditur; ex qvâ materia, qvomodolibet incenſa, fumus tenuis reſolvitur, & vaſe concavo excipitur. Nec arbores ſolummodò, ſed mineralia inprimis, igne ſubterraneo ac ſupraterraneo elicita, hoc tempore potisſimùm, qvo Sol in ſignis calidis verſatur, ſymbolam in copia abundanti ſuam conferunt. Paria cum ſulphure, imò majora præſtat nitrum. Nitri etenim ubiqve obvii, (in aqvis, terrâ maximè, & aëre) vis illa eſt, qvæ de præſentia & operatione ſua omnibus in meteoris igneis, potisſimùm fulminibus, ſtellis cadentibus, & ſimilibus phænomenis teſtatur. Flammæ alioqvi proprium aſcendere. At nos ſemper obſervamus, meteora ignea deſcendere; non ab externo aliqvo agente violenter, *ſed à propria natura, qvæ conſpicitur in Nitro.* Chymicis hoc accuratè notum, & in arte pyrotechnica verſatis. vid. *Gvilielm. Clarcke* Angl. hiſt. nat. Nitri c. 2. & inprimis D. *Joh. Mayow*, Med. Londinenſ. Curioſ. in operib. Medico Phyſ. c. 2. 3. Nitrum tale eſt ſubjectum, ſine qvo nec naturale fulmen fieri, nec artificiale aliqvod conſveto more poteſt. Per conſvetum morem pyrotechnicum intelligo communem. Ajunt Chymicorum aliqvi, ex Marte fulmen etiam parari poſſe; cujus nunqvàm ego qvidem vidi demonſtrationem. Singularis mihi notus modus præparandi fulminis, ſed uſu minùs commodi, ac operoſi ex cryſtallis ſacchari Saturni. Aurum fulminans, qvantumlibet vehementisſimum effectum edat, ſine

auro

auro tamen terribilia parantur alia. R. ⦶ ℥iij electi & pulveriſati probè, ⊖ ♀ ʒj cum ſemiſſe & 🜍 ʒj. pulverem fac inde minutiſſimum, probeq́; miſce; infer cochleari ferreo & leni igne urge. Statim atqve ignis minima particula partic. ⦶ inflammabilẽ tetigerit, exorietur fulmẽ. Hoc qvod vides ſuprà terram, ante manus; qvodq́; in everſione urbium, caſtrorum, & vallorum audis juxtà atqve infra terram; idem fieri cogita in aëre. Non malè igitur *Kavina* lampadem volantem à ſe qvondam illuſtratam, propter plurimas convenientias cum pilis igneis comparari poſſe ſtatuit, qvæ noctibus feſtivis cogi ſolent, ut per aërem diſcurrant; aut vi impetûs ex æneis tormentis elevatæ, è ſulphure & halinitro concretæ, accenſæ ac projectæ ſunt. Sed idem meliùs egiſſet, ſi per ignes deſcenſorios, non aſcenſorios rem explanaſſet. Propiùs ad rem *Fromondus* in Lovanienſi Acad. Primar. Profeſſor olim & Philoſophus in Meteorol. l. 2. c. 1. *Magnam* inqvit, *ſtella cadens cum pyrobolis noſtris, & id genus ignibus artificialibus habet cognationem: niſi qvòd hos flamma levet in altum; ſtellæ verò cadentes contrà naturam, & cum injuria ignis* (hoc in qvæſtione eſt) *exploduntur deorſum. Aliàs ſæpè in his, ut illis, materia paullatim in ipſa trajectione incenditur; ſed non cum tanto crepitu ſtellæ in fine diſſiliunt; qvia materia loculamentum & clauſtra rumpenda non habet, ut pulvis chartâ toties replicatâ preſſus & conſtrictus in pyrobolo. Hoc etiam diſcriminis eſt, qvòd, qvò magis pyrobolus flammam rapit, hoc magis feſtinat in cœlum, ubi ſtella contrà incremento ignis tardatur; qvia levitas reſiſtit motui deorſum.* Materiem determinare qvando voluit *Libertus*, nimis liberè ac ὡς ἐν πλάτει loqvitur: *Cauſa materialis tranſiens meteororum ignitorum eſt ἀναθυμίασις, ſeu exhalatio idonea flammæ. Hæc enim eſt, qvæ*

inſlammatione corrumpitur in ignem: qvi & materia permanens bujus meteori. Ut autem exhalatio flammam, ſaltem viſibilem concipiat, debet eſſe viſcoſa, aut pingvis. Qvæ poſtrema verba apertisſimè teſtantur, fulminis & phænomenorum igneorum originem & ſubjectum ignoraſſe ipſum. Qvid qvæsò opus exhalatione iſtiusmodi viſcoſa? ne de pingvi dicam? Ubi viſcus, aut materia viſcoſa, cum præparatur pulvis pyrius, aut per eundem appparatus varius pyrobolorū? In manifeſtatione fulminatricis flammæ nihil tale obſervatum. Gaudet nitrum igne ſubtilisſimo, cœleſti, penetrabiliq; ſupra modum; non viſcoſitate. Fruſtrà ſunt, qvi Nitrum inflammabile eſſe negant cum Autore clari nominis in Chymia experimentali, ſub init. de ſeparat. rer. p. 57. Contrarium Natura docet & Chymia. Fatentur Viri ab experientiâ inſignes, *Qvercetan*, *D. Matth. Unzer.* de Sale c. 18. circ. fin. *Mayow* maximè de Nitr. c. 2. qvi *Williſio* reſpondit exqviſitè, negans propter ſulphur, inflammabile dicendum Nitrum. Nuper admodùm qvi ſcripſit *Moſes Charas*, Gallus, Doctor Medicus Britanniar. Regis Pharmacop. Reg. Chymica c. 14. de ⊕. p. 226. noſtram ſuo calculo ſententiam confirmat. Neqve tanti eſt momenti dubium, qvod ab αὐτοψία petiiſſe vult *Robertus Flutbus*, Scriptor Anglus, olim nominis majoris, aſſerere: *ſe qvondam ignem fatuum noctu ſecutum & aſſecutum; & materiam inveniſſe non igneam,* ſed viſcoſam & lubricam, compactam in modum ſpermatis ranarū, *diſtingventibus nigris & exiguis maculis ſubalbidam, qvæ vice ſpeculi redderet ſtellarum lumen.* Parum, qvid aut viderit, aut non viderit *Robertus*, refert; nec de igne fatuo nunc qværimus. Poëta princeps elegantiùs Georg. 1. cecinit:

Cæ-

— — Cœlo delapſa per umbras
Stella facem ducens multâ cum luce cucurrit.
Illam ſumma ſuper labentem culmina tecti
Cernimus Idæâ clarâ ſe condere ſylvâ,
Signantemq; vias: tùm longo limite ſulcus,
Dat lucem, & latè circum loca ſulphura fumant.

Invenimus materiam phænomeni; qværamus & *efficientem.* Furoris, non erroris ſpecies videtur, id, qvod Majeſtati ſuæ reſervavit Numen, Dæmoni tribuere. Deus noſter in cœlis eſt, & qvæ vult, facit: pluit, tonat, fulminat, ſerenat, ventos excitat, & patrat mirabilia. Laudant omnia hæc Creatorem ſuum, & apertè clamant: Tu feciſti nos, non ipſa nos. Audi qvæſo, qvanto mugiat opere illius tonitru! *Helmontium*, cenſorem aliorum tàm ſagacem & naſutum miror hæc de tonitru ſcripſiſſe in Anomalo Meteor. *Cùm tonitru non habeat planè naturalem in nubibus meteori, credo prorſus cauſam omnem habere non ſuprà, ſed præter naturam, adeoq; eſſe effectum portentoſum. Inprimis namq; credere tenemur, Cacodæmonem eſſe principem*; & qvæ ſeqq. Eadem de fulmine *Bodinus* aſſerit: *à geniis dæmonibusq; fulmina cieri projiciq;*; cui ſatisfecit oppidò perplexè ac ambiguè *Fromondus* l. alleg. Nulla indiget ſententia hæc confirmatione: *Deus ſumma & univerſalis, ſæpè etiam immediata, omnium* (eorum etiam, de qvibus agimus) *effectuum eſt cauſa.* Creatura etenim in eſſe ſuo bona, neceſſariò dependet à ſuperiori eodemq; libero agente.

Nunc conſideremus ſtellas, an, & qvanta ſit in illis ad phœnomena hæc producenda virtus? Portentoſa ſunt, qvæ c. 8. Meteor. profert *Paracelſus*; cui proprium hoc dedit confidentia ingenii, ut aut temeraria, aut falſa, aut miracula ebuccinet. Sic ipſe: *In ſtellis fulminalibus eſt*

ſulphur in ſummo gradu, ſalpetra in ſumma pingvedine, Mercurius in ſumma contrarietate. Ex his tribus tonitru, fulmen, & tempeſtates fiunt. Ecqvis compendioſiùs exprimere rem potuiſſet? Sed heus, Vir optime, probari paradoxa debent. Philoſophia hodiè apparet oculata; credit, qvod videt, aut immotis deprehendit verum eſſe argumentis. Qvæ illæ fulminales ſtellæ? aut ſulphureæ, nitroſæ, ſimilesvè? ſcit, qvæ neſcit, qvæ nec facta, nec futura ſunt, *Aureolus.* Ad rem, cur non diſtinctè appellavit *Solem, Jovem, Mercurium, Saturnum, Martem*, cor Leonis, aut illius caudam? Cur configurationes Planetarum, ſive mutuos adſpectus, aut illorum oppoſitiones, aut conjunctiones prætermiſit? Et conjunctionem qvidem magnam Anni proximè ſuperioris meritò Aſtrologi urgebunt. Sed cùm hæ univerſales ac remotæ nimis cauſæ videantur, propiores indagandæ potiùs in terra. Toto menſe *Junio* videlicet & *Julio*, & ultra dimidium *Auguſti*, diebus paucis admodùm exceptis (3. 23. 27. & 28. Junii. 4.5. 12. 16.20. & 31. Julii, itemq; 1. 11. 29. 30. & 31. Auguſti) aut inſolitæ denſæq; nebulæ, aut pluviæ, aut fulmina, aut pſecades cum ventis alternantibus in Horizonte noſtro & viciniâ obſervabantur. Poſitis, nec impeditis cauſis hiſce proximis, non potuit non ſeqvi extraordinarius effectus.

Finis ſupereſt. Qvi talibus phænomenis ſignatum aut eventum tribuunt prodigioſum, veluti Cometis, *Julium Obſeqventem* pro ductore habent. Neqve Romanus Sapiens abhorret. *Vidimus* (inqvit *Seneca*, in qq. natural.) *non ſemel flammam* ingentis pilæ ſpecie, *qvæ tamen in ipſo curſu ſuo* diſſipata eſt. *Vidimus, cum de Sejano actum, nec Germanici mors ſine denunciatione tali fuit.* Trabs ſæpe viſa. Trabem olim conſpectam, cum

Lace-

Lacedæmonii claſſe victi, Græciæ imperium amiſerunt, narrat *Plinius*. Hûc illa faciunt *Lucani*, l. 1.

Ignota obſcuræ viderunt ſidera noctes
Ardentemq́; polum flammis, cœliq́; volantes
Obliqvas per inane faces, crinemq́; tremendi
Sideris, & terris mutantem Regna Cometen.

Nolumus innumera auctorum aliorum cumulare teſtimonia. Hoc dicimus: per cauſſas & effectus qvoq; naturales præternaturalia ſæpisſimè eventa deſignare Numen. Teſtes Irides, immanes venti, aliæq; tempeſtates. Unius rei poſſunt plures eſſe fines, in ſubordinatione, non in oppoſitione æſtimandi. Notus ſcripto publico t. t. vulgato vates, qvi Obſidionis *Viennenſis* appellavit indicem hunc globum igneum. Veruntamen cùm jam obſidione mediâ fervente fulſerit, *Vulcanum* imitatus fortè fuerit, qvi, qvando die artificiali unico, ab oriente Sole ad occaſum ſomniavit ſe præcipitem è Cœlo in Lemnum decidiſſe, infeliciter ἐγωμίτρητα τὰ ὑπερώια. Hæc hactenus de LAMPADE VOLANTE. Nunc ad LUNAREM redeundum CRUCEM foret, & judicium adjiciendum aliqvod. Sed iſtud operæ ac ſcrutinium cauſarum, unde Crux prodierit, relinqvam Artificibus divinioribus; contentus naturalem indicaſſe veritatem. Anno cIɔ. Iɔc LX. d. 17. Decembris, primâ die poſt oppoſitionem Solis & Lunæ, horâ ſextâ matut. 30 / Lunâ $1\frac{o}{2}$ altâ, tres Pſeudolunas cum genuina in occidente *Gedani* conſpexit Mathematicorum noſtri ævi Princeps, Dn. *Hevelius*. Prætereà per ipſam genuinam Lunam obſervavit *Crucem albicantem ſeu argenteam ampliſſimam;* qvæ ab inferiori parte ad Horizontem etiam protendebatur; à lateribus reliqvis non planè attingebat circulum. *Erat autem*, ait accuratus obſervator, *adeò ſplendida & luminoſa, ut ad ipſum Solis exortum*

ortum clarè atq; diſtinctè affulſerit. De his & aliis Phænomenis ingenti maximè Cometa illo, & *προγνώσει* Cometarū, in Epiſtola ante paucos annos reſponſoria ad me uberrimè ac ſapienter ſcripta, cum Magnifico venerabiliq́, Sene, Dn. de *Gvericke* Illuſtris Dn. *Hevelius* adduxit plura. Cujus utríusq; inter ſingularia & in futuros usûs ſervo MSC. Ordine in verſo, *Lunā* ſcil. *in Cruce viſam* eleganter oppidò deſcripſit, & laboris eruditi copiā ſubmiſit olim Vir Clarisſimus, inter Ordinis Philoſophici t. t. Adſcriptos Jenæ benè meritus, nunc Publ. ac Ordinarius Profeſſor. Dn. *Joh. Andr. Schmidius.* Imaginabor mihi etiam, à Sole mutuatos radios, ex luminis reflexione in figuram crucis ſparſos, arcûs imperfectos, & eorum centrum terram extitiſſe. Addam qvoqve ex *Carteſ.* Meteorol. c. 8. n. 15. per olea & aqvas ſtillatitias, reflexione radiorum mediante, inſtrumenti beneficio cujusdam Irides repræſentari poſſe, nec non cruces; ſed negabo tamen, demonſtrationibus hæc Mathematicis, earundemq́; legibus, aut hypotheſibus omninò exhauriri poſſe. Ludit in humanis divina potentia rebus; qvidni in longisſimè remotis & cœleſtibus? Illius gloriæ laus ſempiterna conſtet!

Appendix ſeriùs exhibita, cum ſchemate, & Ollersdorpii Sileſiorum obſervata:

ABriß deß groſſen Wunders / welches ſich Ann. 1684. den 3. Febr. am Monden in ſeinem Aufgange und zwar zu Ollers-Dorff 1. Meile hinter Goldberg / bey vier Stunden hat ſehen laſſen / der natürliche Mond welcher gantz blaß ſchien ſtand am Glantz deß halben Mondens oben / ſehr groß und hell / auch zwiſchen zweyen nebenſtehenden Monden / welche ſehr feurig ſchienen / aus welch.n gleich ein Dampff gieng / unfern von dem Blitz waren noch andere zwey Flecken: Der Auffgang war hinter einem Berg / daß man den Glantz nicht gantz hat ſehen können ꝛc.

MC